



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XVIII. De exemplis Sanctorum Patrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

tegra mortificatio passionum verum faciunt religiosum.

Qui aliud quærit, quam pure Deum, & animæ suæ salutem, non inveniet, nisi tribulationem, & dolorem.

Non potest etiam diu stare pacificus, qui non nititur esse minimus, & omnibus subiectus.

3. Ad serviendum venisti, non ad regendum: ad patiendum & laborandum scias te vocatum, non ad otia dum vel fabulandum.

Hic ergo probantur homines, sicut aurum in fornace.

Hic nemo potest stare, nisi ex toto corde se voluerit propter Deum humiliare.

CAPUT XVIII.

De exemplis Sanctorum Patrum.

I. Intuere Sanctorum Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio refulsit & religio, & videbis quam modicum sit, & pane nihil, quod nos agimus.

Heu!

Heu! quid est vita nostra, si illis fuerit comparata?

Sancti & amici Christi Domino ferviunt in fame & siti, in frigore & nuditate, in labore & fatigatione, in vigiliis & jejuniis, in orationibus & meditationibus sanctis, in persecutionibus & opprobriis multis.

2. O quam multas & graves tribulationes passi sunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & reliqui omnes, qui Christi vestigia voluerunt sequi;

Nam animas suas in hoc mundo oderunt, ut in æternam vitam eas possiderent.

O quam strictam & abdicatam vitam sancti Patres in eremo duxerunt? quam longas & graves tentationes pertulerunt? quam frequenter ab inimico vexati sunt? quam crebras & fervidas orationes Deo obtulerunt? quam rigidas abstinentias peregerunt? quam magnum zelum, & fervorem ad spiritualem profectum ha-

buerunt? quam forte bellum aduersus
 edomationem vitiorum gesserunt
 quam puram & rectam intentionem
 ad Deum tenuerunt?

Per diem laborabant, & noctibus
 orationi diutinæ vacabant: quam
 quam laborando, ab oratione men-
 tali minime cessarent.

3. Omne tempus utiliter expende-
 bant; omnis hora ad vacandum Deo
 brevis videbatur.

Et præ magna dulcedine contem-
 plationis, etiam oblivioni tradeba-
 tur necessitas corporalis refectio-
 nis.

Omnibus divitiis, dignitatibus,
 honoribus, amicis, & cognatis re-
 nuntiabant: nil de mundo habere cu-
 piebant: vix necessaria vitæ sume-
 bant: corpori servire etiam in neces-
 sitate dolebant.

Pauperes igitur erant rebus terre-
 nis, sed divites valde in gratia &
 virtutibus.

Foris egebant, sed intus gratia &
 consolatione divina reficiebantur.

4. Mun-

4. Mundo erant alieni, sed Deo proximi, ac familiares amici.

Sibiipfis videbantur tanquam nihili, & huic mundo despecti: sed erant in oculis Dei pretiosi & dilecti.

In vera humilitate stabant, in simplici obedientia vivebant, in charitate & patientia ambulabant: & magnam apud Deum gratiam obtinebant.

Dati sunt in exemplum omnibus Religiosis: & plus provocare nos debent ad bene proficiendum, quam tepidorum numerus ad relaxandum.

5. O quantus fervor omnium religiosorum in principio suæ sanctæ institutionis fuit!

O quanta devotio orationis! quanta æmulatio virtutis! quam magna disciplina viguit! quanta reverentia & obedientia sub regula magistri in omnibus effloruit!

Testantur adhuc vestigia derelicta, quod vere viri sancti & perfecti fuerunt:

runt: qui tam strenue militantes mundum suppeditaverunt.

Jam magnus putatur, si quis transgressior non fuerit: si quis quod accepit, cum patientia tolerare poterit.

6. Ah tepor & negligentia status nostri, quod tam cito declinamus a pristino fervore; & jam tædet vivere præ lassitudine & tepore!

Utinam in te penitus non dormiret profectus virtutum, qui multa sæpius exempla vidisti devotorum:

C A P U T XIX.

De exercitiis boni Religiosi.

I. **V**ita boni Religiosi omnibus virtutibus pollere debet: ut sit talis interior, qualis videtur hominibus exterior.

Et merito, multo plus debet esse intus, quam cernitur foris: quia inspector noster est Deus, quem summo opere revereri debemus, ubicunque fue-